

mihī interdum in mentem veniat spe-[7:]cies illius poeticae Chymaerae,<sup>13</sup> et tandem constituam non rectius eam varietatem in ordinem redigi posse quam si ad gradus Aristotelicos, qui et ingeniose constituti sunt et valde late patent, talia accommodemus. Existimauit is homines plurima in vita eligere et suspicere primum φύσει, hoc est ex naturali inclinatione, plurima etiam δόξα, id est opinione concepta, etsi ea non recta ratione vel iudicio nititur, sed plerunque ad cupiditates aliquas sese accommodat, qualis erat fortitudo Bruti, qui volebat videri esse imitator veteris Bruti,<sup>14</sup> vt ea ratione inlaresceret, plurima item βουλῆσει, id est voluntate edente voces et gestus simulatos, cum interea mens iudicet contrarium, sicut in fortitudine Thrasonis,<sup>15</sup> vltimo quaedam ex τῆς προαιρέσεως, id est vero cum iudicio et deliberatione.

Multi ex populo in regno pontificio retinentur in cultu missae persuasione pietatis, quia et natura amant caeremonias, quae speciem habent magnae religionis et longo vsu inde vsque a teneris assuefacti sunt ad ea spectacula, quae iudicantur esse plena sanctimoniae et nerui christianae religionis. Pulchra omnino pompa est missa theatra et circumgestatio illa tam augusta panis, vbi creditur Christum tota sua substantia et singulari quadam praesentia esse coram, offerentem aeterna et corporalia bona assistentibus aut deducentibus eum. Nota sunt dicta: πᾶν σύντροφον γλυκὺ, consuetudo altera natura. Et apud Herodotum dicitur: „Hominis furiosi esse deridere vsitatos ritus vitae.“<sup>16</sup> Ideo ea opinio cultus apud multos ita alte egit radices, vt nullas admittere possint admonitiones contrarias, praesertim cum tales plerunque sint ex media plebe, qui non ea praediti sunt iudicij rectitudine, vt affectiones suas vera ratione possint superare. Quam multi etiam in ecclesiis emendatis inuoluuntur opinionibus in hac causa non bonis atque etiam, quod dolendum est, nescientes saepe implicantur idolis propterea, quod illae sententiae videntur alere reuerentiam, acuere precationem in hominibus atque adeo viciniore esse antiquae consuetudini. Adhuc gradus est eorum et praecipue doctorum, qui suis indulgent opinionibus et affectibus atque ita propter certas cupiditates etiam causam non bonam tuentur. Multi inflati superbia, opinione eximiae cuiusdam scientiae, ambitione, metu amittendi sui loci et autoritatis praeliantur pro ea sententia, quae existimatur grata esse populo et

<sup>13</sup> Der Begriff „Chimaera“ bezeichnet ein mythologisches Fabelwesen, das vorn ein Löwe, hinten ein Drache und in der Mitte eine Ziege war. Vgl. Fritz Graf, Art. Chimaira, in: NP 2 (1997), 1123. In der Neuzeit wird der Begriff auch übertragen benutzt und bedeutet soviel wie „Trugbild“, „Hirngespinnst“. Vgl. Art. Schimäre, in: DWb 15, 154.

<sup>14</sup> Der römische Politiker Marcus Iunius Brutus war ein enger Vertrauter Caesars. Dennoch lehnte er dessen Bestrebungen, eine auf seine Person zugeschnittene Alleinherrschaft in Rom zu etablieren, ab und schloss sich der Gruppe der Caesar-Attentäter an; er gilt als einer der maßgeblichen Mörder Caesars im Zuge des Anschlags vom 15. März 44 v. Chr. Vgl. Wolfgang Will, Art. Brutus, in: NP 6 (1999), 60f.

<sup>15</sup> Thrasonides ist eine typische Figur aus der griechischen Komödie, die einen prahlerischen Soldaten darstellt. Vgl. hierzu Wilhelm Capelle, Art. Thrasonides, in: PRE.S 11 (1968), 564.

<sup>16</sup> Vgl. Herodot, Historiae III, 38, 1, in: Herodot, Historiae. Bd. 1, hg. v. Haiim Baruch Rosén, Leipzig 1987 (BSGRT), 278,13–279,2.